Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1125
Quelle:
Copyright:

pro *homines ad examen. Ibi erit gaudium* pro *eritque gaudium.* Quae Codex aperte peccat, non adnotavi. Ad calcem manus Sec. XIII. superstitiosam hanc Formulam adjecit: *Ansa. amen. bvs. Theos. vsyon. Elion. generasivs. liberasivs. Alpha. et ω. sis pax et deffensio. hvic famulo dei. ab omni incursione diaboli et nunc et semper amen. Deus pax. Jesvs remedium. christvs uita.*

Vestiendae utrique Codicis interiori Thecae immolata est *Aeneis Virgilii* pariter Sec. XII. exarata, glossis adspersa, et probissimae lectionis, *Liber* quidem III. a v. 691. *Litora Achemenides* usque ad L. IV. v. 4. et deinceps plura ejusdem L. fragmina per duas columnas scripta.

CCCCLVIII.

R. 3117 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 70. 4. Textu luculente, Commentariis marginum minute, sed nitide exaratis, minio distinctus, et olim *Monasterij S. dorothee in Wienna* continet I. *An. Manl. Sev. Boethii* Opuscula Theologica, quorum primum *De Sancta Trinitate*, init: *Inuestigatam diutissime questionem* &c. alterum *Ad iohannem diaconum utrum pater et filius et spiritus sanctus de diuinitate substantialiter predicentur.* Ita: *Quero utrum pater et filius* &c. tertium *Ad eundem quomodo substantie in eo quod sunt, bone sunt, cum non sint substantialia bona.* Ita: *Postulas ut ex ebdomadibus nostris* &c. Atque huic Opusculo *fol.* 14. continuo absque omni titulo adnexa est *Brevis illa Fidei Complexio* jam *Tritbemio* memorata, quae incipit: *Christianam fidem noui ac ueteris testamenti pandit auctoritas* &c. et de qua infra plura. Quartum denique *Contra euticen et nestorium ad iohannem diaconum.* Ita: *Anxiete quidem diuque sustinui* &c. Specimen lectionis horum Opusculorum cepi e collatione cum Edit. *Ren. Vallini Lugd. Bat.* 1671. neque plane ad hujus perfectionem assurgere comperi. Interim in exordio primi Codicem melius legere puto: *ut contumeliam uidear — projecerim*, quam *videatur — projecerit.* Textum Glossae et Scholia eadem ambiunt, de quibus ad sequentem Codicem dicam. Sola *Fidei Complexio* iis caret, quae, ubi ab Edit. abeat, hic indicabo, pluribus differentiis, inquibus hic Codex cum sequenti convenit, illuc reservatis:

Editio Lugd. 1671.	Codex noster.
Pag. 289. *eatenus confitetur fides.*	*Fides* omissa.
290. *ordo necessarius postularit.*	*postulat.*
291. *paradisi delitiis constituit.*	*paradisi delitiis possessorem constituit.*